



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Qua necessitate dictum sit tres personæ à Latinis, à Græcis tres  
hypostases vel substantiæ. D. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



esse, & personam esse. Ecce expresse habes, quod persona secundum substantiam dicitur: ut cū dicitur, pater est persona, hic sit sensus, pater est diuina essentia. Similiter cum dicitur, filius est persona, spiritus S. est persona, id est, essentia diuina.

*Cur pater & filius & spiritus sanctus non dicantur  
vna persona, vt vna substantia, &  
vnus Deus.*

IDEO oritur hic quæstio difficilis quidem, sed non inutilis: qua quæritur, Cur non dicantur hi tres vna persona, sicut vna essentia, & vnus Deus. Quæ quæstionem Aug. diligenter tractat, atq; congruè explicat in 7. lib. de Trin. ita dicens: Cur non hæc tria simul vnā personam dicimus, sicut vnā essentiam & vnum Deum, sed dicimus tres personas, cū tamen tres Deos, aut tres essentias non dicamus? Quia volumus vel vnum aliquod vocabulū seruare huic significationi, qua intelligitur Trin. ne omnino taceamus interrogati quid tres essent, cum tres fateamur. Cū ergo quæritur quid tres, vt ait August. in lib. v. de Trin. magna prorsus inopia humanū laborat eloquium: dictū est tamē tres personæ. nō vt illud dicefetur, sed ne taceretur omnino. Non n. rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet. Ecce ostēdit qua necessitate dicatur pluraliter personæ: videlicet vt hoc vno nomine quærentibus de tribus respondeam.

*Qua necessitate dictum sit tres personæ à Latinis, & à Græcis tres hypostases vel substantia.*

QVA necessitate nō solum Latinus sermo, sed etiam Græcus eadem pene super hac laborans nominum penuria coarctatur. Vnde August. quid à Græcis vel Latinis necessitate de ineffabili Trin. dictū sit aperiens, in 7. lib. de Trinitate ait: Loquēdi causa de ineffabilibus, vt fieri aliquo modo possit

*Cap. 9. eiusdem consuetudo.*

*Solutio.*

*Aug. cap. 9. in fine li. 9. de Trin.*

*Cap. 4. in principio.*



possemus, dictū est à Græcis, vna essentia, tres substātiæ, id est, vna vsia, tres hypostases. Aliter enim Græci accipiunt substātiā quam Latini. A Latinis autē dictum est, vna essentia vel substātia, tres personæ: quia nō aliter in sermone nostro, id est, Latino essentia quam substantia solet intelligi. Et vt intelligatur saltem in enigmatē, placuit ita dici, vt cum quæreretur quid tria sint, aliquid diceretur: quæ tria esse fides vera pronuntiat, cum & patrē nō dicit esse filiū, & spiritū S. scil. donū Dei, nec patrem dicit esse nec filium. Cum ergo quæritur, quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inueniendum aliquod nomē, quo cōplectamur hęc tria. Neq; occurrit animo: quia supereminentia diuinitatis, vsitati eloquij facultatē excedit. Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur: & veri⁹ est, quam cogitatur.

*Quid hoc nomine tres significetur.*

*E. Ibid. cap. 4i*

PATER ergo filius & spiritus S. quoniā tres sūt, quid tres sint, quæramus, quid commune habeant. Non n. possunt dici tres patres, quia tantum pater ibi pater est: nec tres filii, cum nec pater ibi sit filius, nec spiritus S. nec tres spiritus S. quia spiritus S. propria significatione, qua donum Dei dicitur, nec pater est, nec fili⁹. Quid ergo tres? Si tres personæ esse dicuntur, cōmune est eis id q̄ persona est: Cerre enim quia pater est persona, & filius est persona, & spiritus S. est persona, Ideo tres personæ dicuntur. Propterea ergo dicimus tres personas, quia commune est eis id q̄ p̄sona est. Ex prædictis aperte intelligi potest, qua necessitate dictum sit à Latinis tres personæ, cum persona secundum substantiam dicatur. Vnde & tribus commune, est id, quod persona est, id est, hoc nomen persona.

*inferius.*

*Ibid. paulo  
inferius.*